DE SELECTU NUTRICIS AD LAUREAM MEDICAM OBTINENDAM...

Luigi Gnecchi

DE
SELECTU NUTRICIS

Ad Lauream Medicam Obtinendam

LEGEBAT

GNECCHI ALOYSIUS

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLII.

Dum fetus in lucem editur, novo subjicitur elemento, quod illi novas tulit molestias; teneram corpusculum aëris pondere est pressum, vicissitudinibus temperaturae torquetur, in pulmonibus huc usque inertibus nova instituitur circulatio, qui aegre, aërem ut accipiant, se se extendunt, levissimus rumor ejus aurem offendit, et quies turbatur, lux ipsa plus aequo retinam irritat, sitis et fames in scenam prodeunt, excrementa et urina ad eorum functionem vesicam intestinaque excitant. Interim summa sensilitate praeditus neonatus de repente huic mutationi expositus primam vitam versatur in lacrymis et voce dolorem exprimere cogitur. Vel igitur magnae mutationi relate ad potentias externas, aut mutationibus, quae in internis organis eveniunt, ratio habeatur, clare patet quantis molestiis noxiisque tenellus puer subjicitur, et quo modo ipse, cum nil per se possit, certe supremam videret lucem, nisi ars naturaque talem improvisamque mutationem mitigare studuissent. Et quidem assiduae curae parentum ad tollendas mitigandasque externarum potentiarum actiones tendunt; provida natura, altiorem finem spectans, ultérius illius incrementum evolutionemque providet, succum illi parando convenientem debilioribus neonati viribus facilique digestu, qui idoneus et aptus esset ad vias intestinales illis humoribus, qui novo vivendi modo non conveniunt, liberandas, et inde sen-

sim sensimque majorem acquirens assimilationem consequenti necessitati nutritivae materiei responderet. Hic quidem succus, idest lac, mammis secretus nutrit infantem, qui mirum in modum matris lactis complexibus vegetat, et ipsa hac de causa brevi puerperio et valetudine firma tutissimaque gaudet, cum e contra ille cito senescit et plerumque vitam amittit, cui mater mammas denegat, ipsaque periculis, permultis incommodis frequentioribusque graviditatibus se se exponit. Hisce praemiis verae donantur matres, hisce poenis damnantur crudeles. Sic effata natura! Ast incredibile! Mulieres quaedam sacras naturae leges damnarunt proles linquentes nutricibus lucro tantummodo conductis, quasi, prole in lucem edita, mater esset omni munere soluta.

Hujusmodi maxima nota utilitas ubera proli admovendi, et omni jure hoc commendatum; non tamen inficiandum quamplurimos contingere casus, in quibus mater ab hoc sacro munere eximi potest, imo hoc fungi illi vetatur. Et quidem si fetus et conceptionis momento, nec non gestationis tempore, a matre dispositiones morbosas aliquas accipit, experientia docet, et sana ratio suadet has dispositiones nisi omnino tolli saltem mitigari posse, quod obtinetur hanc relationem ulteriorem vitalem tollendo, quae matrem fetumque inter esset, ubera proli admovere persequendo. Cum autem omni jure inspicatur parvulum a sinu matris humores vitiatos et perniciosos sugere, tum ab eodem tolli debet.

Ea auspicio adesset, cum mater quadam diathesi morbosa, ut esset rhachitica, scrophulosa, scorbutica, herpetica, phthisica et tandem omnibus morbis sic dictis hereditariis laboret. Quod si mater

syphilide aut scabie laborasset, et neonatus expers certe esset, tunc nutrici erit committendus, ut a certo morbo tueatur, et contra lac maternum sugere deberet, spe quod cura matris ille quoque careret. Eadem de causa mater, quae lac serosum aut densum secerneret, aut quantitate peccans, ut neonatus male nutriretur, eximi debet.

Aliquando tamen tales defectus et vitiatae secretiones tolli possunt, et ideo antequam nutrici parvulus committatur, remediis, quae ars proponit, ut corrigantur, tentari debent.

Graciles et tenui valetudine donatae ne credant secernere vitiatum lac, et mammas proli porrigendo detrimento se se afficere, experientia enim clare comprobat permultas hujusmodi mulieres, vocem naturae sequutas, in postenum bona gavisas esse valetudine, et incommoda omnia dissipasse; quare gracilitas corporisque infirmitas haud matres a sacris muneribus absolvunt.

Impedimentum lactationis contingere possit per vitiatam conformationem papillarum, quae aliquando omnino desunt, vel imperviae sunt, et quandoque magnae ita ut suctioni difficillime inserviant; quod si parum evolutae inveniantur, etiam ante partum ad remedia quae ars proponit confugitur, ut ad normalem statum redigantur.

Aliquando contingit quod, vel praeteriti morbi gratia vel alius cujusvis causae, lactis nequidquam in una mamma separatur, quare sufficienti nutritione vacare parvulum timeri potest, sed recte inspiciendo alterius mammae volumen auctum, et animadvertendo quod, dum functio alicujus organi cessat, aliud respondens officio ipsius fungitur, magis magisque activum evadit, facile quidem parvulum lacte ma-

tris orbare incassum esse dignoscitur. Praeter physicas causas adhuc enumeratas contraindicantes lactationem, eodem modo animadvertendae sunt etiam morales, nam omnibus nota est vis vehementium animi affectionum, quae indolem lactis ita mutant, ut infans et corporeis et animalibus vitae functionibus patiatur. Siculi autem de istis causis et consequentiis aliquid dicam, quum de necessariis qualitatibus nutricis loquar, sic hoc relinquo.

Hucusque de impedimentis, quae ab initio adjumentum nutricis postulant; nunc de illis malis, quae lactationis tempore contingere possunt, et matrem cogere infantem nutrici tradere, locaturus sum.

Cum mater, ubera proli praebens, acuto aliquo morbo corripitur, non negandum lac quam maxime alterari, nec ideo absque periculo infantem illud sugere; igitur a sina matris tolli, et pro aetate viribusque vel lacte animali aliisque cibis convenientibus nutriri, vel nutrici tradi debet.

Sic quum mater a chronico morbo, qui gravissime ejus valetudini consulat, corripiatur. Non desunt tamen leves morbi, in quibus infans a matre nutriri potest quin ullo detrimento capiatur; ut essent febres aliquae intermittentes simplices recentiores, ast verum post accessum. Non quidem ignoro casus ab auctoribus fide dignissimis in medium latos, in quibus infantes sani et fortiores mammas matrum suxerunt gravissimis morbis laborantium; sed, quomodocumque res se babeat, maxima bisce in casibus prudentia requiritur. Praeter universales affectiones, etiam locales mammarum lactationem impediunt; ut essent, inflammatio gravissima cum exitu, sic quoque exulcerationes papillarum etc.

Taudem loqui debeo de duobus eventibus, quos vulgus perperam magni facit, putans esse absoluta lactationem impedientes ulterius, et sunt nova graviditas et menstruorum reditus. Quoad primam magnes aerumnas augenti puero pariter ac fetui pendera creditur. Sed observatio absque praejudiciis contrarium affirmat, postquam chemicae analyses lac non alterari nos docent: item auctores quamplurimi permultos casus (et quotidie observantur) infantum praegnantis matris lacte nutritorum, quin valetudine patiantur, asserant. Sic quoque comprobatur ab analogia brutis desumpta, in quibus lactatio novae gestationis tempore continuat. Nec admitti debet fetum in utero aliqua damna pati, saltem in primis tribus vel quatuor mensibus, nam sic parva est mole tardaque evolutione, ut tam magna copia humorum opus non habeat. Si autem vel infans detrimentum patiatur (quod potius a deficientia lactis quam ipsius perversitate pendet) vel mater, tunc nutrici tradi debet, quod facilius conceditur, quum parvulus crescit, et aliquibus quodammodo atitur cibis; si autem adhuc debilis esset, tunc nutrici traditur, et quoque animali lacte nutritur.

Ex dictis facile dignoscitur, quantum ponderis tribuendum sit sanguinis amissi exiguae quantitati menstruatione nova, quae judicium potius erit humorum magnae copiae.

Aliquando observare occurrit infantem, menstruo fluxu profluente, mammas effugisse, quo in casu brevi in illo temporis spatio optimum erit cum arte nutrire, et iterum postea ad mammas matris admovere.

Quam satis, ut credo, exposui caussas lactationem matris negantes; de quibus locutus sum, ut

324

recte impedimenta vera ab apparentibus, temporaria a constantibus dignoscerentur, ne infans absque necessitate a nutrimento illi natura donato, evolutioni tam necessario privaretur.

Cum unus alterve casuum supradictorum occurrit, tunc tantummodo nutricem quaerere cogimur, quae tantam a matre differre debet in qualitatibus damnosis, ceteris cum matre similibus, cum qua spes retinebitur tollendi vel saltem mitigandi morbosas illas dispositiones, quas forte a matre aqoisivisset infans, et organisationem sat sanam efformare. Ex quo facile dignoscitur quam summi esse momenti nutricis selectus, nec unquam severitatem suffecisse in qualitatum investigatione, quibus ipsa minime careat.

Ut ergo optime selectas fiat, indagari debemus praeprimis in sequentibus, idest:

I. Aetate statuque valetudinis nutricis.
II. Mammarum conformatione.
III. Aetate lactisque characteribus.
IV. Moribus nutricis.

1. Plorimi fit actas juvenilis, ut statuatur, ceteris paribus, nutricis selectus. A viginti usque ad triginta quinque annos aptissima est aetas sacro muneri lactationis, idonea magis tamen est pluripara quam primipara, illa enim magis id, quod infanti opus esset, dignoscit, et at res fert, aptissime adjumenta omnia praestare.

Ast praeter aetatem juvenilem necessaria est optima et habitualis valetudo: laudabili constitutione corporis donata, nec nimis pinguis aut macra, nigro colore potius quam flavo, nec unquam pilis robris donata sit nutrix, cutis sit munda, rubra labia et gin-

givae, albidi et mundi sint dentes, dulcis halitus grataque transpiratio.

Enumeratos jam characteres praeseferentem nutricem optima gaudere valetudine judicari potest, sed ne in errorem aliquando inducamur optimum erit quaerere de parentum, fratruum prolisque valetudine, nec non de prima ejusdem aetate, ut clare eluceat, an rhachitide, vel scrophula, aut affectionibus quibusdam nervosis, vel impetiginibus crebrisque verminationibus laborasset, quibus morbis quamvia non afficiatur, dispositionem tamen quamdam semper linquentibus, huic augenti communicari potest. Ex statu valetudinis filiorum aut aliorum, quibus forte mammas porrexisset, constabit quibus qualitatibus ornaretur. Nec omittendae sunt investigationes relate ad maritum, qui si potor, iracundus, vitiis pronus, aut infidus sacramento, certe cautissime ejus mulieri infans tradendus, quo in casu proximi etiam quaerendi sunt, ut omnino dignoscatur si etiam mulier vitiis hujusmodi deturpata esset, aut effectibus subjiceretur. Semper vero necesse erit genitales partes perlustrare, ut si forte albo fluore, ulceribus cicatricibusque etc. laboraret cognoscatur. Perlustratur etiam uvula, gingivae, et eodem tempore conditio halitus, qui si foetet inditium erit forsan agi de lue, vel scorbuto, vitiove pulmonis etc. Tale examen fieri debet ab experto obstetricante, feminarum enim malitia in occultandis vitiis difficillime patet. Mutabitur autem illico nutrix, cum in progressu lactationis morbus examine dissimulatus invenitur, vel novo quodam apto lac pervertere in naturalibus elementis si corriperetur.

2. Magna quidem observatio requiritur in perlustrandis mammis, organis nempe secretioni lactis-

que excretioni inservientibus, cujus aequo volumine convenienteque papillarum conformatione usui ipsas mamoeque respondere dijudicari potest. Mammae autem esse debent mediocri volumine, hemisphaericae et aliquantisper conicae, mediocri consistentia donatae, tenella vero cute indutae, et quamplurimis venis instructae. Et hic animadvertendum est quod magnitudo mammarum, ut vulgo creditur, nequidem lactis copiam praesefert, imo falsa haec moles fere semper conjungitur cum inopia secretionis, dum e contra ex parvis mammis aliquando ea lactis secernitur copia qua abunde infans nutriatur. Valde autem ad suctionem facit papillarum laudabilis conformatio, quae ab areola elevari debent ita, ut facillime ab infante capiantur, aut ne longitudine aut amplitudine excedant, ex quibus duobus momentis aut suctio ipsa, aut deglutitio impediretur, sensibiles et erectiles sub tactu esse debent, aliter enim ore infantis deciderent et frustranei infantis conatus suctioni lactis evaderent ex papillis flaccidis. Denique restat, ut in papillis status ductuum lactiferorum perlustretur, qui vel amplitudine vel angustia peccare possunt; primo in casu, magna repente copia lactis effluente, in suffocationem infans incurrere potest, dum in secundo insufficienter nutriretur, idque semper conatibus continuis aptis ad statum periculosi languoris juvandum. Omni vero in casu leviter comprimere papillas circa basim optimum erit, et si magna copia lactis irrumperet, tum ductuum lactiferorum amplitudine, quum e contra si guttatim exiret, angustia peccaret, normales autem essent mammae, si prompte longiusque crebris ictibus sortiret.

3. Primum lac quod secernitur (nomine colo-

strum) principia continet facili digestione, seri abundanti copia donatam, quare optime viarum digerentium debilitati convenit, nec non eodem tempore ad eliminandas impuritates, quae meconium constituunt, apte inservit. Hic humor in posterum magis magisque consistentiam acquirit, albus, densus, magis crassus et nutriens evadit, quae mutationes in decursu lactationis nutritionem adjuvant nam proportionem servant quodammodo inter soliditatem alimenticiae substantiam, et necessitates majores infantis. Si variae ergo mutationes, quas lac subiit, nec non indigestiones, diarrhoeae, obstructiones, et turbae aliae, quae insurgunt si infans initio lacte nimis denso et non aetati convenienter nutriatur, attente considerantur, clare patet, circumspectione epochae lactis uti oportere, quare desiderandum, quod nutrix seligenda eodem tempore ac vera mater peperisset, et sic lac, quod aetati ipsius conveniat, porrigeret. Hoc felici eventu deficiente, optimum erit vel matrem ipsam (quum res fert) per duas hebdomadas proli suae mammas porrigere, vel nutricem, ante et etiam tempore lactationis uti potibus aquosis, ut magis fluidum reddatur lac, porrigendo aliquando infanti eadem de causa aquam saccharo mixtam.

Non indifferente itaque lactis aetate erga salutem infantis perspecta, eadem de causa clare patet necessitas examinis lactis qualitatis, de qua observandum est, illud characteres omnes veri lactis nisi ad tertium mensem acquirere; tunc magis opacum, coloris albo-opalini, saccharini saporis, odoris grati vix sensibilis et gravitatis specificae majoris quam aqua.

Lac illud, quod diversos praesefert characteres

ab illis jam enumeratis, retinendum plus minusve vitiatum, ut gradus alterationum speciatim in odore, sapore aut colore offert. Diversa consistentia aut densitas denotat abundantiam aut penuriam principiorum nutrientium, quod cognoscitur aliquas guttas lactis super laminam vitream ponendo, qua inclinata, lac per excessum consistentiae et viscositatis adhaerere non debet, nec nimis fluere per earundem defectum. Alterum esset experimentum versando lactis guttas aliquas in vase aquae purae, si istae illico fundum petant patebit ejus densitas, si in superficie stent tenuis erit, viscosum autem si filamenta relinquit, normale vero illud erit quod in aqua suspenditur ac nubecula. Parum fidendum est experimento ebullitionis, ut dignoscatur a coagulationis facilitate, cum aliquando observatum est lac optimum coagulari, et pari modo pessimum. Istis experimentis sufficienter determinari potest qualitas absque analysi chemica, quae varia et incerta dat experimenta.

Antequam ad hoc transeamus, semper erit animadvertenda aetas lactis, quod examine subjici debet, ut etiam si nutrix jamdudum comedisset, et aliquantulum quieti se dedisset. Adnotare etiam oportet, quod lac ipsum emulsum una vice varium et differens evadit, cum e contra minori consistentia donatum primum sit, et ultimum magis plasticum et densum.

Sufficiens dijudicabitur lac nutricis, quum evacuatae mammae secunda vel tertia hora iterum plenae evadunt, vel certius quum postquam infans magnam copiam suxisset, aliqua quoque quantitas manet; experientia tamen quorundam dicrum secretionem satis esse nutrimento infantis statuere sufficiet.

4. Tandem aliquid de qualitatibus moralibus nutricis loqui restat, quae si ab aliquibus parvi momenti fiunt, ab aliis tanti ita, ut fere infantem una cum lacte vitia nutricis virtutesque sugere putent; et omnes, utriusque opinionis, quamplurimos in medium ferunt casus. Ardaam quidem esset hoc nuam vel aliud objicere, ast qui, hypothesibus adversus aut systematibus, factis innititur veri viam certius invenit.

Experientia chemicorum lac prae ceteris esse humoribus nos docet variabile ita, ut quavis animi commotione data, semper plus minusve propriis diversum principiis inveniatur: aliunde fide dignae praeticorum observationes certiores nos faciunt, haram mutationum influxum infante persentiri, qui quum modo convulsionibus, inquietudinibus, modo vomitu, diarrhoea, febri aliisque, prout plus minusve vehemens fuit animi pathema, quod in lac talem mutationem inducere valuit, capere tur. Hic vero notandum, quod nec chemici lactis omnes mutationes indicare queant, nec e contra observatores nisi patentiores effectus referre valeant. Pariter non est inficiandum lac materialem organisationis esse basim, ideoque temperamenti, e quibus directio varia et vis inclinationum, voluptatum etc. pendet.

Hisce veritatibus praehabitis quis indifferens in moralibus qualitatibus nutricis agnoscendis? Quis eorum influxum in functionibus vitae infantis neget? Invida mulier, cholerica, zelotypia inquieta, conscientiae stimulis immodicisque voluptatibus exagitata nisi lac perversum porrigeret, et infans heu! fatales effectus in vita animali et vegetativa secum ferret. Et e contra quam prae-

ferendum lac nutricis anima laeto et tranquillo incorruptisque moribus donatae, naturaeque legibus uniformis? Huic addenda est cura et sollicitudo, quibus semper amore infantem prosequutura erit. Nec magni facienda est eorum oppositio, qui hanc relationem dynamico-physicam lactationis tempore non inficiunt, ast hóc praeterlapso influxum etiam deficere putant; hoc pro parte concedi potest, sed vero habitus et typus, quos vita semel sumpsit rarius in posterum mutatur.

Hoc in modo, et non aliter, influxus moralium qualitatum nutricis in puerum intelligitur.

Hae sunt praecipuae normae, quas in selectu nutricis sequi debemus; sed quam arduum est has tam necessarias qualitates simul conjunctas invenire! Et quibus periculis non subjicitur infans qui omnibus curis indigens feminis lucro ductis tantum nutriretur. Quam magnus numerus infantum, qui apud nutrices supremum subeunt diem! Quanta ignominia dignae matres illae, quae quidem injuste mammas proli negant!

Novae noptae generosae tali turpi consuetudini valide objicite, neque curae molestiaeve vosmetipsas mammas proli porrigere impediant, quod vobis certa praemia non deficient « mariti constans amor, affectus quidem filiorum, existimatio obsequiumque omnium, partus felices, valetudo firma et vegeta, et tandem oblectamentum quod vos filiae imitentur, et commemoratae in aliarum exemplum sitis. »

THESES DEFENDENDÆ

I.

Usus coitus frequens in muliere, quae infanti ubera praebet, multum adfert puero damnum.

II.

Lac muliebre animali anteponendum.

III.

Veneris abusus facultates intellectuales infringit.

IV.

Otium et desidies adpetitum venereum alunt et incitant.

V.

Medico non psychologo convenit tentamen de morbis psychicis.

VI.

Algarum historia generationem aequivocam impugnat.

VII.

Organisatio unicum cujuscunque systematis medicinalis solidum fundamentum consideranda.

VIII.

Sensatio muscularis sensationibus peculiaribus ab organis sensoriis perceptis semper consociatur ut judicium inde exurgat.

IX.

Ad objectorum distantiam dijudicandam conferunt: sensatio muscularis axum opticorum directioni consona, iridis conditio, anguli optici magnitudo, ima-

ginis nitor: criteria autem haec omnia praeter primum hallucitationibus ansam saepe praebent.

X.

Saepius diabetis sanatio non obtinetur sub quacumque medendi cura.

XI.

Anatomiae pathologicae cognitio in morborum cura summum praestat auxilium.